

*Q. D. B. V.*  
DE  
**FORMULA**  
Veteris Ecclesiæ excitatoria,  
*ad devotionem,*  
**SURSUM CORDA,**  
DISSERTATIO THEOLOGICA,  
*Quam*  
PRÆSIDE  
DOMINO  
**D. ADAMO RECHENBERGIO,**  
S. Theol. Prof. Primat.  
*PATRONO & PRÆCEPTORE suo omni pietatis  
affectu colendo,*  
*In*  
**ACADEMIA LIPSIENSIS,**  
D. XXVIII. O. A. MDCCIV.  
*Publicæ Thesauri disquisitioni, a. XCIII. 9.*  
*In*  
**AUDITORIO THEOLOGICO**  
submittit  
**M. ADAMUS FRIDERICUS ZURNERUS,**  
Marienavia-Variscus.

*LIPSIAE,*  
Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS.

llo  
oll. diss. A  
3, 9

*H. J. S. Södler*

W. S. C. 9  
ALIUM ALIUM  
DIESES 1079 EINÖDEN 1179  
AD 1000 VILLAGE  
AD 1000 VILLAGE



ALIUM ALIUM  
DIESES 1079 EINÖDEN 1179  
AD 1000 VILLAGE

W. S. C. 9

*ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO  
VIRO,  
DOMINO  
JO. CHRISTOPHORO  
ARTOPOEO,  
S. R. MAJEST. BORUSS.  
NEC NON  
SERENISSL. AC REVERENDISSL.  
DUCIS SAXO-NUMBURG.  
CONSILIARIO INTIMO,  
Hujusque  
CANCELLARIO;  
ET CONSISTORII ECCL<sup>E</sup>SIASTICI  
PRAESIDI,  
UT ET  
ECCL<sup>E</sup>SIÆ COLLEGIATÆ  
DECANO  
SUMME REVERENDO &c.*

CHARITATIS INSTITUTI LIBRARY  
MÆCENATI  
ET  
STUDIORUM MÆORUM  
**PATRONO AC DOMINO MEO**  
GRATIOSO,  
*HOC QUALE CUNQUE INDUSTRIÆ  
THEOLOGICÆ  
PUBLICUM SPECIMEN,  
CUM SUMMA ANIMI OBSERVANTIA,  
DEVOTI CULTUS GRATIA,*

D. D. C.

M. ADAMUS FRID. ZÜRNER.

ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO  
VIRO,  
DOMINO  
JOHANNI CHRISTOPHORO  
ARTOPOEO,  
*S. R. MAJEST. BORUSS. ET SERENISS.  
DUC. SAX. NUMBURG.*  
CONSILIARIO INTIMO,  
*ET HUJUS*  
CANCELLARIO,

*SALUTEM ET FELICITATEM  
PERPETUAM!*



XCELENTIAM TUAM  
in frontispicio hujus dissertationis alloqui atque ardua  
Tua, quibus subinde distineris, negotia interpellare ausus  
non essem; nisi de Tua, *PATRONE MAGNE*, huma-  
nitate ac benevolentia erga literatos mihi ab-  
unde constaret. Itaque cum Vir-Juvenis exi-  
mius M. Zürnerus, favorem Tuum ac patroci-  
nium, me interprete ac velut proxeneta se faci-  
lius exorare posse, persuasum haberet; ego Tuо  
in me favore nixus, spem ejus hac in parte fru-  
strari nolui. Præsertim cum sic comparatum  
)( 2 sit;

fit; ut licet quis bonus doctusque sit, nisi tamen ei fautores commendatoresque accedant, ipsum ignotum latere oporteat, nec facile emergere possit. Meretur autem Zürneri virtus Patronis innotescere. Nam etsi tenuiter atque succincte in Academiis quatuor vitam tenere, necessum habuerit; Philosophiae tamen & Theologiae studio sedulo instituit, industriae & doctrinæ morum probitatem jungens; ut virtutem inveniret, quæ præcipue Christiana pietas est. Hunc ergo copium quum sibi studiorum proposuisset, in Theologia eos fecit progressus, ut s. ministerii non indignus videatur candidatus. Testimonii forte loco etiam, quam *ILLUSTRIS NOMINI TUO*, debiti cultus gratia inscrispit, hæc dissertatione esse poterit. Quapropter, si preces meæ apud *T. EXCELENTIAM*, ut confido, aliquid valent, ea, qua decet, observantia rogo, efficias, ut spes gratiæ Tuæ ipsum ne habeat frustra. Bonis quod bene fit, hac in parte hanc perire intelliges. Vale feliciter, *ILLUSTRIS PATRONE*, & favere perge,

## *TUÆ EXCELENTIÆ*

Lipsiæ  
XXVI. Octobr. Ann.  
MDCC IV.

*obsequio & piis precibus con-  
stanter dedito*

D. A. Rechenberg.

B. C. D.

## INDEX HUJUS DISSERTATIONIS.

- §. 1. *Formulæ Sursum corda! antiquitas, usus & abusus proponuntur.*
2. *Origo ejus ex Coloss. III, 2. derivari potest.*
3. *Expositio istius loci ex Theophylacto:*
4. *Item ex Sid. Pelusiota.*
5. *An in Eucharistia ejusdem usus ante IVum seculum fuerit? incertum.*
6. *In publicis tamen precibus usu ante receptam fuisse, ex Cypriano probatur.*
7. *Ejusdem ante preces adhibita Significatio.*
8. *Cur & quando in Eucharistiae celebratione usurpata?*
9. *Usus illius & significatio in Eucharistia, ex Chrysostomo declaratur.*
10. *Hunc Calvinus parum attendens, perperam explicat.*
11. *Excitat illa formula populum ad elevationem mentis in oratione.*
12. *In hac elevatione mentis ad DEum, opus est auxilio gratiae.*
13. *Impedimenta votæ elevationis annotantur.*
14. *Remedia istis amoliendis idonea ostenduntur.*
15. *Ulterius declarantur cum observatione humanae imbecillitatis.*
16. *Tria alia impedimenta votæ orationis ex H. Wellerio adducuntur, cum pie ejusdem consilio observando.*
17. *Devotio mentis quid hac in parte involvat.*
18. *Hujus signa & vires exteriori, 1.) manuum elevatio,*
19. *2.) Pectoris percussio.*
20. *3.) Conversio faciei ad orientem, & cur illa in oratione olim facta.*
21. *Interna mentis devotio à Chrysostomo magis commendatur.*
22. *Transitio ad USUM dictæ formulæ*

formulæ in S. EUCHA-  
RISTIA.

- §. 23. Hujus usus ratio & causa exponitur.  
24. Ad quam refertur mysterii sublimitas in s. cœna.  
25. Quæ piam atq; devoutam ἀσκησιν in communicante poscit.  
26. Sequitur ABUSUS hujus formulæ apud Pontificios, de elevatione symbolorum eucharisticorum ad adorandum.  
27. Origo abusus memorati, quando cœperit.  
28. Bellarmini hac in parte

crassus error notatur & confutatur.

- §. 29. Item Cardinalis Jo. Bonæ error ejusq; rationes discutiuntur.  
30. Transubstantiationis dogma istum superstitionem ritum Sec. XIII. confirmavit & stabilitivit.  
31. An Christus in s. Euchari- stia secundum carnem & sanguinem sit adorandus?  
32. Alter ABUSUS sepius no- minatae formulæ, ex Calvi- no proponitur:  
33. Et indicato errore confu- tatur.

§. I.

Hristianos olim preces magna cum animi devotione ad DEum fudisse, tum mysterium s. Cœnæ, singulari cum animi reverentia administrasse & sumisse, inter alia multa testimonia, consveta illis formula, qua populus ad animi devotionem excitatatur, (*SURSUM CORDA!* ad

quam respondebatur: *HABEMUS AD DOMINUM*) attestatur. Hujus ritus *ANTIQUITATEM, USUM & AB-  
USSUM in Ecclesia* exponere, dum animum induxi meum, DEum in CHRISTI nomine veneror, ut in ejusdem sanctissimi Nominis gloriam & pietatis Christianæ incrementum cedat!



§. 2. Quod

§. 2.

Quod ergo primum *ANTIQUITATEM* istius formulæ attinet, in divinis literis quidem totidem verbis concepta illa haut legitur: Si tamen Apostoli locus *Col. III, 1.2.* attenditur, inde eam petitam fuisse, conjicere licebit. Nam Paulus Colossenses ad animi devotionem & sanctitatis studium adhortatur, scribit: *Itaque si surrexisti cum Christo, τὰ ἄνω ζητεῖτε, quae SURSUM sunt, querite, ubi Christus est, ad dextram DEI sedens: τὰ ἄνω Φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, quae SURSUM sunt, sapite, non quae terrestria, aut quae super terram sunt.*

§. 3.

In quem locum *Theophylactus Archiepiscopus Bulgariorum* *tom. II. fol. 6. 17.* hæc commentatur: Cum dixisset, si mortui estis cum Christo, per Baptisma videlicet, ac tacite intelligendum innuisset, quod & simul excitati estis; (baptisma enim ut per submersionem, mortem; sic per EMERSIONEM resurrectionem significat,) nunc infert: Si surrexisti una cum Christo, debetis posthæc λατπὸν ἄνω εἶναι in supernis esse, ubi ille, ubi non est παρατήρησις observatio: ac τὰ ὑψάντα COELESTIA sapere. Nam hæc, quæ de cibis præcipiuntur atque diebus, terrestria & corporea sunt, nihil alatum aut spirituale habentia; siquidem sunt terrenorum hominum mandata. Non autem contentus fuit (Apostolus) ἄνω εἰπεῖν, SUPERNA dicere; nec ubi Christus est: sed adjecit; in dextra DEI sedens, quo magis a terra nostrum animum abducat. Johannes Chrysostomus in hunc eundem Pauli locum, *Homil. VII. f. 1361. sqq. edit. Commelian.* unde *Theophylactus* sua excerptis, paulo prolixius hæc declarat.

§. 4.

*Isidorus Pelusiota L. I. Epist. 77. ad Dioscorum f. 23.* eundem Apostoli locum respiciens scribit: Usque adeo ad

A 3

salu-

salutem conductit secessus ab urbanis tumultibus, ut etiam  
DEI Filius, relictis urbibus, eosq; qui cum puritate vivunt,  
in montis cacumine beatos predicarit. - In quo per ea, qua  
faciebat, illud ostendebat, fieri non posse; ut, qui ab inferis  
rebus minime se astraxisset, atque ad virtutis fastigium  
adscendisset, beatus a Deo censeretur. Nam ὅτα ἀνω Φρα-  
νῶν, qui SUPERNA sapit, illic habitas, ubi Christus est, in  
dextra Dei sedens, Coloss. III. Quo etiam Augustinus l. II. de  
Bono perseverantiae Cap. 13. digitum intendisse videtur,  
quando ait; quod in sacramentis fidelium dicitur, ut  
**SURSUM CORDA** habeamus ad Dominum: Munus est Do-  
mini, cum non sit in nostra potestate cor nostrum, sed divi-  
no sublevetur auxilio, ut ascendat, & quæ SURSUM sunt,  
sapiat, ubi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super  
terram. Apostolus quippe terrestria opponit supernis,  
non quidem quoad loci inferi & superni differentiam;  
sed quoad differentiam dignitatis & turpitudinis; h.e. ut  
arebus caducis & turpibus, quæ in terra homines carna-  
les oblectant, animum abducamus & elevemus ad spiri-  
tualia ac cœlestia meditanda & capienda. Nam τὰ ἀνώ-  
τερα παλλίω.

§. 5.

Justinus Martyr quidem, antiquissimus Ecclesiæ do-  
ctor *Apolog. II. fol. 76.77.* celebrationem Eucharistiæ apud  
veteres Christianos usitatam describens, hujus formulæ  
excitatoria nullam mentionem facit: Sed, cum ea tantum,  
quæ ad substantiam Eucharistiæ pertinent, recensere vide-  
atur, forte illam præteriit. *Cyrillus tamen Hierosolymitanus*, qui seculo IVto a Christo nato, ante Chrysostomum  
vixit, *Catech. Mystag V.* veterem liturgiam exponens,  
hanc formulam in Ecclesia orientali, quando Eucharistiæ  
actus frequentabatur, usitatam fuisse diserte docet. Nam  
postquam de ritu lavandi manus sacerdotis & presbyte-  
rorum

torum circa altare DEI stantium & de osculo mutuae caritatis symbolo, quo se invicem complectebantur, dixisset; postea, inquit, clamat sacerdos: ὄντως τὰς καρδίας, SURSUM CORDA. Vere enim circa illam maxime tremendam (τὴν Φρονκωδεσάγην) horam, SURSUM CORDA levare necesse est, & non deorsum ad terram, terrenaque negotia depremere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit sacerdos, curas scilicet vita & hujus omnes & domesticas sollicitudines illa hora relinquere, & cor IN COELO HABERE apud DEum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: ἔχομεν πρέστες τὸν κύριον, HABEMUS AD DOMINUM, assentientes ei profitendo. Nullus autem hic consistat, ut ore quidem dicat: HABEMUS AD DOMINUM, mente vero circa vita & hujus curas vagetur. Ac semper quidem DEI meminisse debemus: Sed cum id propter infirmitatem humanam fieri non possit; illa tamen maxime hora studiose istud enitendum est. v. fol. 240.

### §. 6.

Ante eum Cyprianus, Carthaginiensium Episcopus in latina Ecclesia, jam seculo currente tertio florens, per dictam formulam, sacerdotem ad attentionem animi inter precandum, populum excitasse memorat. Ita enim ille de oratione Dominica f. 152. scripsit: quando autem stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corpore debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur: Ideo & sacerdos ante orationem prefatione premissa, parat fratrum mentes discendo: SURSUM CORDA! Et dein respondet populus, HABEMUS AD DOMINUM, admoneatur nihil aliud se quam DOMINUM cogitare debere. Atque id Christianos attente observasse, Tertullianus, Cypriani præceptor, in

Apo-

*Apologetico c. 30. testatur: Illuc (in cœlum vel ad DEum) suspicientes Christiani manibus expansis, quia de pectore oramus pro innocuis: capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus.*

§. 7.

Colligere inde licet, quod Christiani olim oraturi, hac formula primum admoniti fuerint; ut abjecta rerum terrenarum cura, quæ mentis devotionem impediunt, animum infide & spe *AD DEUM*, qui solus invocandus est, elevarent. Is autem cum in cœlo maxime suam majestatem per tot admiranda ac sublimia opera manifestat, atque in cœlo etiam habitare dicitur Ps. II, 4. non tantum oculos corporis ad cœlum attollere; sed mentis quoque cogitationes ad DEum, sepositis rerum terrestrium curis, dirigere convenit. Christus enim ipse ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, suspiciens in cœlum, oravit *Luc. IX, 16.* Etnos orare jubens *Matth. VI, 9.* Patrem nostrum, qui est in cœlis, invocare jussit.

§. 8.

Cum autem in s. Eucharistiæ celebratione, maxime opus sit oratione, mentis quoque elevatio ad DEum in fide necessaria erit; ut dignos nos convivas s. cœnæ ipse reddat. Proinde haut dubie isthac formula excitatoria a ministro Ecclesiæ, ob caussam memoratam, in Eucharistiæ actu usurpari etiam cœpit. Nam non tantum minister s. cœnam dispensans orare debet; Sed communicantes quoque & orare, & mentem ad DEum, qui, ut Hieropsaltes Ps. CXI, 4. loquitur, memoriam facit in hoc mysterio mirabilium suorum, dirigere oportet. Confer *Ambros. I. & II. Precationem præperantem ad missam*, tom. IV. ep. 5. f. 453. sqq. Formula ergo illa; (*ἄνω καὶ μεν καρδίας ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον*) excitatoria devotionis erat. Quæ, ut ex

ut ex concilii Nicæni notis, a *Gelasio Cyzizeno* collectis, c. XXXI. num. 5. appareat, seculo jam IVto a Christo nato recepta fuit. Ita enim verba illarum f. 41. habent: *Ite-  
rum hic etiam in divina mensa, ne humiliter intenti simus  
ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem,  
fide intelligimus, situm in sacra illa mensa agnum illum DEI  
collentem peccata mundi ἀδύτως a sacerdotibus immolatum;  
Et pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes, cre-  
dere, hæc esse nostræ resurrectionis symbola.*

§. 9.

Significationem ergo & usum hujus formulæ in s. Eucharistiæ celebratione apud veteres usitatæ, optime *Chrysostomus Homil. XXIV. in I. Cor. X. f. 536.* declarat. Hæc ergo, inquit, nos quoque cum sciamus, O DILECTI, cu-  
ram geramus fratrum & conservemus eam, quæ est nobis cum ipsis unitatem. Ad hoc etiam nos vocat ἡ θυσία ἐκείνη Φοβερὰ καὶ φρικῶδης terrible & formidandum il-  
lud sacrificium jubens, ut cum concordia maxime ad ipsum accedamus, & ardentí charitate & in effectu aquile ad ipsum cælum evolemus. Ubi enim cadaver, inquit, illuc & aquile: Cadaver corpus vocans propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non surrexiſſemus. Aquila vocat ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem seu ALTUM ET ELEVATUM (ὑψηλὸν εἶναι) & cum terra nihil habere commune, μηδὲ καῆω σύρεσθαι καὶ ἔρπειν, ἀλλ' ἀνω πελέσθαι διηνεκῶς, καὶ πρὸς τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης ἐνορᾶν, καὶ ὀξυδερκὲς τὸ ὄμρα τῆς διανοίας ἔχειν. ἀετῶν γάρ, & πολοιῶν, αὕτη ἡ θράπεζα. h.e. neque deorsum trahi & serpere, sed assidue SURSUM VOLARE, & ad solem justitiae aspicere, acutos & perspicaces habere mentis oculos: aquilarum enim, non graculorum hæc est mensa. Ipse (pergit) tunc quoque ei occurrit e

B

cælis

cœlis descendenti, qui nunc digne percipient, sicut qui indigne  
extrema patientur. Nam si quis regem non temere nec in-  
considerate exceperit; quid dico regem? ne vestem quidem  
certe regiam tenere & inconsiderate immundis manibus  
contrectaverit. Si autem vestem hominis ne ausus quidem  
fuerit quisquam solum tangere; quomodo DEI corpus, qui  
est super omnia, quod est mundum &c. Inde etiam eadem  
Homil.f.538. pergit declarare, qua animi reverentia ad  
hanc mensam Domini accedendum sit: Hæc enim mensa  
est animæ nostræ nervus, mentis vinculum, fiducie funda-  
mentum, spes, salus, lux, vita. Sic cum hac mensa ibi disces-  
serimus, cum magna fiducia, sacra ascenderimus vesti-  
bula, veluti quibusdam armis undique muniti. Et  
quid dico futura? Hic enim terram tibi cœlum fa-  
cit hoc mysterium. Aperi ergo cœli portas, & per-  
spice, vel potius non cœli, sed cœli cœlorum: et tunc vide-  
bis quid dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissi-  
mum & maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in  
terra. Sicut enim in regia id quod est omnium magnifi-  
centissimum, non sunt parietes, non tectum aureum, sed  
corpus regis sedens in solio: Sic in cœlis regis corpus. Sed  
hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim angelos, nec  
archangelos, nec cœlos & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum  
ostendit DOMINUM. Vidisti quemadmodum, quod est  
omnium præstantissimum & maxime reverendum vides in  
terra. Neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam co-  
medis, & eo accepto domum revertens absterge & munda  
animam & præpara mentem ad horum mysteriorum suscep-  
tionem.

§. 10.

Quæ verba Chrysostomi ideo adduximus, ut consta-  
ret, eum Zwinglii & Calvini asseclarum mentem haut  
quaquam

quaquam tenuisse ; et si illi hac etiam formula *sursum corda*, errorem suum probare contendunt, quod corpus Christi in s. coena non substantialiter praesens sit, oreque corporis sumatur. Nam ut in Pontificiorum libris liturgicis isthac formula in s. Eucharistia usurpatur ; ita etiam post Reformationem Lutheri, in nostra non tantum, sed Reformata quoque Ecclesia retenta fuit. Sic enim in *Liturgia Ecclesiæ Anglicanæ anno 1670.* Londini edita, de ordine administrandæ coenæ Domini expresse legitur ; *Ut eam Presbyter ante Communionem sacram recitet : SURSUM CORDA, populus respondeat : ELEVAMUS AD DOMINUM.* De quo infra plura dicendi redibit occasio. Etenim potest quis terram oculis corporis intueri, & tamen cogitare cœlum, corque sursum habere. Sicuti etiam quis, dum cœlum spectat, cor ejus deorsum ferri potest ad terrestria. Ac adeo elevatio mentis ad Christum, qui ad dextram Patris sedet, non infert *anxiā* corporis ejus in s. coena.

### §. II.

Ut autem clarius evadat, quid sit *COR SURSUM TOLLERE & HABERE*, de mentis *elevatione* in precibus & usu Eucharistiæ necessaria, uberioris paullo meditandum venit. Et quidem quod orationem vel precatiōnem attinet, supra jam §. 6. ex *Cypriano* probavimus; quare formula illa excitatoria in publicis precibus primum usitata, postea vero in usu Eucharistico recepta fuerit. Prioris nempe ritus & origo ex attentæ orationis indole petenda est. Nam si illa, *Damasceno l. IV. de O. F. c. 24.* testante, est *ascensio mentis ad DEum*; facile cogitari potest, mentem orantis ad DEum unice dirigendam esse: *Quam ob caussam etiam colloquium cum DEO dici solet.* Id vero fieri nequit, si illa sit curis rerum terrenarum im-

mersa. Abstractione proinde mentis a curis seculi & elevatione ad DEum, Patrem cœlestem, omniscium, sanctissimum, benignissimum & potentissimum simul Dominum opus est. Quod Cyrillo Hierosolymitano, loco supra allegato, est ἔχειν ἐν ἀραιῶ τὴν καρδίαν πρὸς Θεὸν Φιλάνθρωπον habere cor in cœlo ad humani generis amantem DEum. Quod etiam s. Antiochus ad Eustathium Ancyrae Galatiæ præfectum, de Cogitationibus p. 155. edit. P. Pantini vult; Propositum igitur, inquit, Apostoli (1 Tim. II, 8. 2 Cor. X, 5.) hoc est, ostendere immunes nos esse debere, malarum atque immundarum cogitationum μάλιστα ὅταν τὰς θεῶν προσευχὴν παρισάμεθα, maxime autem eo tempore, quo preces nostras Deo presentamus. Discrepant enim inter se concors & discors cantus; malus odor, & unguentum, -- Quocirca oportet primum adsultum seu objectum semper opprimere & cogitationes peccato obnoxias prorsus ex terra h.e. ex corde nostro delere &c. Conferatur s. Macarii Homilia XXVII. §. 19 & XL. §. 2.

### §. 12.

Ad hanc vero elevationem divina opus est gratia. Quia mens humana etiam post regenerationem ob concupiscentiam carnis connatam, ad res vanas & turpes adhuc proclivis est. Inde cogitationibus vanis sæpe indulget, quæ pios animi motus turbant, aut ad terrena magis, quam cœlestia cogitanda impellunt. Ideo si quis devote in Spiritu & veritate DEum orare velit; mens vera in Christum fide imbuta viribusque gratiæ a DEO adiuta sese ab istis motibus & curis abstrahit atque assurgere veluti in cœlum nititur. Hoc est, cogitationes spirituales atque cœlestes fovere incipit, perpendendo suam imbecillitatem ac miseriam; contra vero infinitam DEI bonitatem, misericordiam & amorem in genus mortaliuum

lum considerando, mens fide in Christum erigitur: ut bona sibi in hac & futura vita necessaria, cum fiducia in DEum ob Christi meritum collocata exorare queat.

§. 13.

Multa hic quidem *impedimenta* elevationi mentis ad DEum objiciuntur, quæ eam velut ad terram subinde retrahunt. Ista sunt nimia cura rerum domesticarum. *Matth. VI, 3.* moles negotiorum, quibus muneris ratione, multi sæpe nimium occupantur & distrahuntur; ut vix tumultuarie preces fundere soleant; non attentes Christi monitum *Matth. XVI, 26.* Accedunt sæpius otiosa in vita colloquia & interpellationes aut inanес speculationes rerum, vel inutilium librorum lectio, ex quibus profanæ cogitationes haustæ inter orandum menti crebro obversantur: Præsertim cum etiam per externos sensus non raro talia objecta ingerantur. Quapropter veteres Ecclesiæ doctores monuerunt: *orantem cœcum & mutum & surdum esse oportere;* ut nil adspiciat, loquatur, vel audiat, quod orationis attentionem interrumpere queat. Ex sensuum quippe extenorū speciebus suboriuntur in mente imaginationes aut phantasmata, quæ memoriæ impressa vanas cogitationes suscitant, ut eas amoliri semper homo etiam devotus nequeat. Maxime vero animæ passiones & affectus: ut amor, ira, odium, & reliquæ passiones carnis, mentem distrahunt ac depriment; ut elevari eam ad DEum admodum difficile sit. Id quod quisque, si mentem suam ante preces excutiat, in corde suo persentiscet. Opus ideo est precanti, pectore per gratiam DEI præparato puroque DEum accedere; si preces suas a Deo exaudiri cupiat, *i. Tim. II, 8. Oportet, scribit Gregorius Nyssenus tom. II. de Scopo Christian. f. 301.*

*ut anima, quæ advolare ad Numen cogitat & adhærere  
Christo, omne peccatum a se expellere.*

§. 14.

*Remedia* igitur circumspicienda sunt istis precum devotarum impedimentis amoliendis idonea. Ea sunt preces jaculatoriæ, quas vocant, hoc est, brevissimæ precandi formulæ ex suspiriis cordis provenientes, quæ instar jaculorum in cœlum mittuntur, ac ad DEum pro Spiritu devotionis impetrando diriguntur. Quales in Psalmis Davidicis passim occurrunt: *Pf. IV, l. sqq. V, l. XVII, l.* *Inclina Jehova aurem tuam, responde mihi: Custodi animam meam, quia sanctus ego: serva servum tuum, quia tu es DEUS meus, qui confido in te; miserere mei DOMNE; quia ad te clamo toto die. Lætifica animam servi tui, quia ad Te DOMINE animam meam attollo.* Psalm LXXXVI, l. 2. *Pf. CII, l. 3.* Hæc vocantur pia suspiria, quæ *Gregorius Nyssenus tom. I. de Homin. Opif. c. 12. fol. 69.* describit. Recordatio divinæ præsentia & majestatis, coram qua preces fundere instituimus, etiam attentionem excitat. Si enim quis coram Principe verba facturus, cogitationes suas velut colligit, & sepositis omnibus aliis curis in principem intuetur; quanto magis coram DEO hac attentione opus erit? *Conf. Macar. Homil. XI. §. 3.* & *Joh. Climaci Scalam Paradisi grad. 29.* Abraham filium suum jussu divino immolatus, omissis aliis curis & velut sepositis, cum filio abscessit paullulum, Deumque animi sui anxietatem videntem precatus est, *Gen. XXII, s. 8.*

§. 15.

Faciunt huc etiam *externæ preparationes*, ut jejunia, & cordis contriti signa ex seria peccatorum reminiscencia provenientes: item locus solitarius, in quo externæ objectæ sensuum non facile mentem turbant, *Mattb. VI, 6.*

*O sancta*

*O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam,  
quem ex omnibus elegisti, inquit Bernhardus Serm. 40. in  
Cantic. Devota etiam recordatio passionis Christi, ejus-  
demque caussæ, animi nostri passiones ebullientes sup-  
primere potest. Et si maxime omnes pravas cogitatio-  
nes motusque earum primos cohibere nequeamus; Deus  
tamen imbecillitatem nostram novit, & ut benignus Pa-  
ter liberis suis fidelibus infirmitate laborantibus ignoscit  
Ps. CIII, 13. Si debilitatus a peccato attente ne quis orare,  
quantumcunque potes, te ipsum colibeas; Deus ignoscit  
ea, quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non po-  
tes, ut oportet consistere coram DEO. Basilius M.t. III. opp.  
const. ascet. c. 1. Nam ut Thomas Aquinas II. 2. qu. 83. art. 13.  
loquitur: In spiritu & veritate irat, qui ex instinctu spiri-  
tus ad orandum accedit, etiamsi ex infirmitate mens post-  
modum evagetur. Et ipse Spiritus s. per quem clamamus,  
Abba Pater, imbecillitatem mentis nostræ hac in parte ju-  
vat, Rom. VIII, 17. Devotio enim, dicente Autore libri  
de Spir. & anima cap. V. qui inter Augustini opera com-  
paret, est pius & humilis affectus in DEO, humilis ex con-  
scientia infirmitatis propria, pius ex consideratione divine  
clementiae. Affectus autem est spontanea quedam ac dulcis  
ipsius animi in DEum inclinatio. Quæ ex vera & viva fide  
provenit. Hæc autem dicente Joh. Climaco, in Scala Pa-  
radisi Grad. 28. p. 290. est orationis penna, qua sine in cœ-  
lum evolare non potest.*

### §. 16.

*Tria alia impedimenta præcipua, quæ inchoantibus  
preces objiciuntur, B. H. Wellerus opp. tom. lat. Part. II.  
fol. 181. observat: Sed simul remedia illis tollendis sug-  
gerit. Illorum primum est cogitatio, quod nobis non  
satis idonei ac parati esse ad precandum videmur: quia  
pecto-*

pectora nostra nimis frigore aut pravis affectibus turbari  
sæpe existimamus. Huic entationi perniciosa summis  
viribus repugnandum esse censet; ne minus minusque  
idonei ad precandum efficiamur. Alterum est opinio  
indignitatis nostræ ob peccata nostra, quibus contaminati  
sumus; DEum enim peccatores non exaudire *Job. IX, 31.*  
Hic luctandum esse pia menti, dicit, ut hunc lapidem a  
corde removeat, verbumque DEI sibi proponat, quo  
DEus mandat invocationem sui, *Ps. L, 15. invoca me in*  
*die tribulationis tuae, et Matth. VII, 7. petite et dabitur vo-*  
*bis, querite et invenietis, ubi promissio additur.* His  
duabus columnis, verbo nempe mandati & promissionis,  
precationem nostram niti, ait. Huc accedat mea neces-  
sitas, quæ urget ac me impellit ad preces. Ich muß  
fort und beten, Gott gebe, ich sei würdig oder un-  
würdig. Nempe impoenitentes peccatores DEus non  
exaudit; exaudit vero pœnitentes. Inde colligit pius  
Theologus, verum esse, quod pius quidam Eremita dixe-  
rat: *Nullum sibi laborem videri difficiliorum, quam preca-*  
*ri.* Tertium est tentatio Satanæ, qua oraturus sæpius de  
exauditione dubitare ac hæsitare incipit. Hic vero sva-  
det, imitari exemplum Davidis, Jonathæ & similium,  
& perpendere simul Christi verba, quibus nempe preces  
mandavit *Luc. XI, 9.* Ante adduxerat exempla Mosis, Eliæ,  
Elisæi, Josuæ, Centurionis, mulieris Cananeæ & D. M.  
Lutheri; subjiciens apud DEum non esse προσωποληψιαν,  
wer vor ihn tritt, und hält ihm sein Wort für, grün-  
det sein Gebeth drauff, den will er gnädig erhören,  
*Jac. c. I. v. 5. 6. 7.* Quo facit illud *Augustini de verbis Do-*  
*mini secundum Lucam, tom. X. p. 30.* Fides fundit oratio-  
nem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.

§. 17. De-

§. 17.

Devotio nempe, quam viva fides parit, in oratione necessaria est; quia sine hac *sursum cor* nemo attollere valet. Illa autem piam meditationem de bonitate, de gratia & misericordia, potentia, omnipræsentia, omniscientia, justitia & sanctitate DEI involvit; quippe quæ orationis fundamenta sunt. Nam si quis in fide, DEI bonitatem & misericordiam animo perpendit, spes alitur; si omnipræsentiam, omniscientiam & omnipotentiam simul & Christum mediatorem ad dextram Patris sedentem proque nobis interpellantem considerat, fiducia augetur; si justitiam ejus & sanctitatem cum potentia cogitat, timor filialis nascitur: quo homo in omnibus prosperis & adversis rebus, DEO obsequi tanquam Domino benignissimo & Redemptori gratosissimo contendit, ne offensam ejus neglecto filiali obsequio incurrit. Ex tali, inquam, mentis meditatione seria, non possunt non Spiritu s. cooperante piæ devotæque preces nasci, quibus mens Christiani *sursum* elevetur. *Quid enim est*, inquit *Dionysius*, (vel *Dionysias*) in *Hierarch. Cœlest.* c. I. f. 13. *rerum divinarum, quod non mentem elevet atque affectum ejus, qui quedam famæ est, sistat ac exsatiet.*

§. 18.

*Devotio hæc* mentis sese attollentis ad DEum externis deinde indiciis prodi solet: Quales sunt humiles gestus de animi sinceritate testantes. *Quo sensu Chrysostomus hom. LII, in Job. dixit: Κύρυξ γίνεται Της ἐν Ιονίῳ λαβεῖς τὸ ἔχωδεν σχῆμα.* Illi gestus & ritus orantium in præsca Ecclesia fuerunt, manuum elevatio, pectoris percussio, genuum flexio, aut humicubatio; item conversio facies ad orientem solem. De manuum elevatione Apostolus

C

stolus

stolus *i. Tim. II*, 8. præcipit, & Chrysost. *Hom. XXII.* ad Hebr. ubi postquam adduxerat locum e Ps. CXL. ἐπάρσις τῶν χειρῶν μεθ' θυσίᾳ ἐσπεριψή, addit parænesin: Μέτα τῶν χειρῶν καὶ τὸν νῦν ἀναλαβώμεν. οὐδὲ οἱ μεμυημένοι τί λέγων τάχα ἐπιγινώσκεται τὸ λεχθὲς, καὶ συνορᾶτε οἱ ἡνιχάμην. ἐπάρσαμεν εἰς ὑψοῖς τὴν διάνοιαν. Ubi ad formulam sursum corda expresse alludit. Confer, si lubet, domini Præsidis dissertat. de *Elevatione manuum inter precandum* ad *i. Tim. II*, 8.

### §. 19.

*Pectoris percussio* indicium est contriti & humiliati cordis, quod, Hiero-Psalte attestante, non despuit D E U S Ps. LI, 19. Publicanus *Luc. XIII*, 15. pectus suum ex humilitate tundens, mentem magis quam oculos in cœlum attollere voluit. Illo tamen gestu contritionem cordis, quod fons & scaturigo pravarum cogitationum & peccatorum fuerat, ipse innuit, *Matth. XV*, 19. *Gen. VI*, 5. *Cap. IIX*, 21. *Conf. Tertullian.* librum *adversus Iudeos* *Cap. 10.* & *I. III.* *adversus Marcionem* c. 18. Ac licet ritus adorare de geniculis, aut γόνατα κλίνειν, Christianis olim quoque frequens esset; *Tertullianus* tamen *Apol.* c. 30. adjungit suspectum in cœlum & denudationem capitum.

### §. 20.

*Ad orientem autem quod faciem Christiani vertent oraturi*, *Tertull. Apolog. I. c. cap. XVI.* innuit, eoque ritu se non superstitione, Persarum more, Solem adorare; sed aliam subesse caussam, quam *Gregorius Nyssenus* *tom. I. Opp. Orat. V. f. 715.* edisserit, quando lapsus Protoplastorum in *Paradiso* facti mentionem injicit: *Cum ad orientem nos convertimus, inquit, non quod Deus illic duntaxat videatur; qui enim ubique est, in nulla parte peculiariter ac separatim comprehenditur: Nam ex equo*

æquo continet res universas ; sed quod in Orientalibus partibus prima nobis patria sit : dico autem de ea, quam in Paradiſo habuimus, habitatione, ex qua ejecti sumus, plantavit enim DEUS Paradisum in Eden, in partibus orientalibus. Cum igitur ad orientis partes respicimus, & recordamur, quemadmodum e lucidis & orientalibus beatitudinis locis ejecti sumus, merito talem vocem proferimus, qui a mala vita sicut obumbramur, qui ex oculis DEI profecti sumus, qui transfigimus ad serpentem, qui vescitur terra & super pectus & mentem suam obambulat, & nobis, ut eadem faciamus, consulit : nempe ut circa terrenarum rerum fructum & voluptatem occupati sumus, & humilibus abjetisque cogitationibus cor nostrum implicemus, & ventre inambulemus, id est, voluptarie vite studeamus, & operam demus. Alii mysticam hujus ritus orandi reddunt causam, quod solem justitiae orientem ex alto Christiani respexerint orantes, *Luc. I, 78. Ezech. II X, 16.* Quæ causa etiam est, cur Christianorum oratoria & templa, in que iis altaria, orientem versus exstructa ubique videimus. Plura de hoc ritu orandi veterum, *B. Thomasius noster* olim peculiari diatribe Lips. edita tradit. *Albinus Flaccus de divin. officiis f. m. 78.* *Ad orientem oramus,* scribit, *ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum.*

§. 21.

Præcipue tamen mentis elevationem internam in oratione attendendam esse, *Chrysost. iterum Hom. V. in Hannam* monet : Αλλα, inquit, καν μη γόνατα κλίνης, καν μη σῆθις λύψας, καὶ τὰς χεῖρας εἰς τὸν σπερνὸν ἀνατένης, διανοιαν δὲ μόνον ἐπιδειξη θερμὴν, τὸ ἀπήρτιστα τῆς εὐχῆς. Nempe hypocrisin hominum tangit, qui devotionem, ut fere monachi, externis ritibus sæpe æstiment;

mant ; cum tamen semper in spiritu & veritate preces fundi debeant.

§. 22.

Quia ergo formula, *SURSUM CORDA!* non tantum in publicis precibus Christianorum ; sed etiam in s. *Eucharistias* administratione (ut supra §. 8. & 9. probavimus) usitata olim fuit, ac inde in omnibus fere libris liturgicis inserta legitur ; ordo dissertationis nostræ poscit, ut de ejus quoque *USU* & *ABUSU* in s. Synaxi plura edisseramus.

§. 23.

Quod igitur *USU M* ejus attinet, Presbyter in veteri ecclesia, communicantium animos ad hoc s. epulum mysterii plenum accedentes præparatus ad devotionem ac reverentiam tantæ rei, isthac formula excitabat ; ut non tantum animo arduum hoc mysterium secundum omnes cauñas expenderent ; sed etiam missis omnibus aliis cogitationibus atque curis rerum terrenarum, animum ad Christum s. coenæ autorem attollerent ; atque mente intenti sanctoque horrore ad mensam hanc Domini accederent. id quod *Chrysostomus Homil. XXIV.* in *I. Cor. X.* supra §. 9. allegatus clarius exposuit. Itaque cum Presbyter communicaturos s. Coenæ convivas præfentes ita exhortatus esset ; illi audita isthac formula responderunt : *HABEMUS AD DOMINUM*. Cum autem inter istos quoque essent hypocritæ, qui aliud ore profitebantur, aliud pectore condebant, eosdem Chrysostomus mendaces vocat. *Quid facis o homo! nonne promisisti sacerdoti, qui dixit: SURSUM CORDA! & dixisti: HABEMUS ad DOMINUM.* Confer ejus *Homil. de Enceniiis*. Eandem ob cauſam in Græcis Liturgiis, quando Eucharistia celebranda esset, Diaconus clamabat.

mabat: τὰ ἄγια λοῖς ἄγιοις, i.e. sancta sanctis, iisque  
verbis prolatis, κατέχεμεν, ἐνεργέμενοι & notorii pec-  
catores pellebantur: uti Chrysostomus Hom. LXI. ad popu-  
lum Antiochenum testatur. v. Balduini Corderii Annot. in  
Dionys. de Eccles. Hierarch. c. III. f. 303. Augustinus Epist.  
CCV. ad Bonifacium comitem scribit: Illud potius cogi-  
temus, quod Dominus ait, (Matth. VII, 21.) ubi est the-  
saurus tuus, ibi & cor tuum. Et utique cum audimus, ut  
**COR SURSUM HABEAMUS**, non mendaciter re-  
spondere debemus, quod nosti, quia respondemus: & in  
Epist. CLVI. ad Probam: Nam hoc etiam Scriptura s. ita  
dicit (Sap. IX, 15.) Corpus enim quod corrumpitur, aggra-  
dat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum mul-  
ta cogitantem. Sed ideo venit salvator noster, qui mulie-  
rem illam in Evangelio per decem annos curvam (Luc. XIII,  
2. sqq.) quæ fortasse hoc significabat, verba salutis erexit;  
ut anima Christiana non frustra audiat: **SURSUM**  
**COR**, nec frustra respondeat: se **HABERE AD DEUM**.  
Conf. August. libr. de ver. Relig. C. 3. & de Bono perseve-  
rantiæ cap. 13. de Bono Viduit. cap. 16.

### §. 24.

Nimirum caussa & modus elevationis mentis ad DE-  
um hic non in obscuro sunt. Nam corpus & sanguinem  
Domini cum pane & vino juxta ejus institutionem, ore  
corporis ad salutem animæ nostræ sumere debemus. Si  
autem quis imparatus & omnibus peccatis adhuc immer-  
sus accedit, is sibi judicium manducat & babit, non di-  
judicans corpus Domini 1. Cor. XI, 29. Quantum enim  
hoc sit mysterium, quamque inestimabile divini amoris  
pignus, id, inquam, humanis linguis ineffabile est. Ideo  
merito **COR ELEVANDUM** cum piis precibus, ad san-  
ctam venerationem & celebrationem Christi Salvatoris

nostri excitandam. Mysterium hoc Patres olim multis homiliis & inter nostros Theologos, post Lutherum, B. Hæpfnerus in *Isag. ad sacra Cœna salutarem usum*, duobus tractatibus, & B. Dannhauerus in *Mysteriosoph. Sect. I. art. 4.* præ ceteris prolixe & accurate exposuerunt.

§. 25.

Nobis adhuc pauca de *modo elevandi cor*, ad animæ piam ἀσκησιν addere licebit. Nimurum cordi humano, h.e. animæ incumbit onus peccatorum, quod hanc deprivit. Idcirco illa ex Decalogo primum noscenda, deinde peccatis recte cognitis, seria pœnitentia, quæ contritione & fide constat, eluenda sunt: ut cor isthac onere levato, ad Christum, qui illa solus expiavit, per fidem erigi & elevari queat, *Col. III, 1.* Ex quo apparet, requiri simul, ut Christianus ad mensam Domini accessurus repetat doctrinæ Christianæ summa capita, quæ de Christi persona, officio & beneficiis, satisfactione sua & meritis nobis omnibus partis, agunt. Quo facto, mens hominis fide imbuta inflammatur; ut sursum spiriis & precibus ad tantorum bonorum autorem Christum tendat, eumque invocet; ut dignam se tanto convivio hospitem reddat; quo cum summa reverentia, mente ad Christum levata, ad participationem hujus mysterii accederé possit. Cum timore enim & tremore ad hanc mensam accedendum est, monente Ambroſio *I. Cor. XI, 39. tom. V. opp. f. 276.* ut sciat mens, se reverentiam debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Opus enim omnino est διανοίσει, seu discretione corporis & sanguinis Christi ab omni alio cibo ac potu *I. Cor. XI, 29.* Quæ verba Chrysostomus homil. *XXVIII.* in *I. Cor. XI.* ita explicat: μὴ διακρίνων, Τότε εἶτι, μὴ ἐξελάζων μηδὲ νοῶν, ὡς χρή το μέγεθος προκειμένων, μηδὲ λογιζόμενος τὸν σύκον τῆς δωρεᾶς, i. e.

non

non discernens, h.e. non perpendens magnitudinem eorum, quæ in cœna hac præsenti apposita sunt, nec considerans amplitudinem doni. Si enim (pergit) diligenter didiceris, quid sit ὁ προνέμενος, qui adest seu propositus est, item quis existens, cui scipsum donet, non opus erit tali exhortatione, sed hoc sufficiet, nisi prorsus desperatus sit. Ergo mens ab omnibus cogitationibus carnalibus, aut quæ sensus externi suggerunt, abstrahenda, **S U R S U M Q U E** in spiritu elevanda est. Quod fit, si rationem humanam in obsequium Christi captivam redigamus, 2. Cor. X, 5. ac verbis institutionis Christi, qui veritas est & fallere nescit, unice inhæreamus. Quo iterum facit Chrysostomi Homil. 83. in Matth. edit. Comel. f. 703. monitum: Credamus ubique **D E U M** neque contradicamus ei, etiam si sensui & cogitationi nostræ videatur absurdum esse, quod dicit, superetque & sensum & cogitationem nostram verbum ipsius. Quare omnibus & præcipue in mysteriis faciamus, non illa jolimmodo, quæ præcipue oculis posita sunt, adspicientes, sed verba ejus quoque tenentes. Nam verbis ejusmodi defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu est facillimus. Quoniam ergo ille dixit: **hoc E S T C O R P U S M E U M**, nulla tenemur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id percipiamus.

§. 26.

Genuino igitur **U S U** hujus formulæ jam exposito, de **A B U S U** ejusdem apud nostros adversarios quoque videndum erit. Occurrunt autem hic nobis primo Pontificii, qui in veteri Ecclesia catholica requisitam in Eucharistia elevationem mentis, transmutarunt in elevationem symbolorum Eucharisticorum, h.e. panis & vini consecrati, ut certo quodam ritu a populo panis consecratus adoretur. Qui tamen ritus sæpius nominatus in pri-

prisca Christianorum Ecclesia, uti jam probavimus, plane ignotus atque inusitatus fuit.

§. 27.

Origo hujus *ABUSUS* formulæ, in seculum a Christo nato XIII. refertur. Nam Honorius III. Pontifex Romanus ea de re legem tulerat, quæ existat in Gregorii IX. *Decretalibus* l. III. tit. 14. de celebr. Miss. c. 10. Sane. Ne (inquit) propter incuriam sacerdotum divina indignatio gravius, exardescat, distincte præcipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari &c. conservetur: Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebrazione mysterii elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, i.e. (flexis, ut habet glossa, genibus) idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum. Itaque in Missali diligenter & pene anxie monetur sacerdos celebrans, prolatis illis verbis: *Hoc est corpus meum, hostiam GENU FLEXO adorari*; tum eam<sup>o</sup> erigens, quando commode potest, *ELEVARE IN ALTIUM*, & intentis in ipsum oculis, populo reverenter ostendere *ADORANDUM*. Mox similiter prolatis his verbis: *HIC EST ENIM CALIX*, jubetur calicem super corporale reponere, & *GENU FLEXO CALICEM REVERENTER ADORARE*; tum se erigere & accipere calicem discoopertum cum sanguine ambabus manibus & elevare eum & erectum, quantum commode potest, ostendere populo *ADORANDUM*. Hanc superstitionem ætolasias in veteri Ecclesia ignotam, *Concilium Trident. Sess. XVIII.* non tantum adprobavit, sed & illam improban tes anathemate percussit.

§. 28.

*Bellarminus* quidem l. II. de Miss. Cap. 15. tom. III. Contrar.

trov. f. m. 599. ad Basili M. locum, qui l. de Spiritu s.  
Cap. 27. tom. II. f. 351. habetur, provocat: *Verba invocationis*, cum ostenditur panis Eucharistiae, quis sanctorum in scripto nobis reliquit, &c. Quæ græce sonant: Τὰ τὸν ἐπικλήσεως σῆματα ἐπὶ τῷ ἀναδέιξει τῷ ὅρτῳ τὸν εὐχαριστίαν. Hæc interpretes latine reddunt: *verba invocationis* cum conficitur panis Eucharisticus; non vero, cum ostenditur panis Eucharistiae, & quidem, quod Bellarminus inde, inepte colligit, ad adorandum. *Johannes Dalleus*, vir antiquitatis ecclesiasticæ peritissimus, de *Cultus Religiosi objecto* L. II. c. 6. confidenter asseverat: Latinos veteres officiorum ecclesiasticorum, tametsi diligentissimos, morosissimos interpretes, ne *elevationis* quidem ullius meminisse reperio ante Sec. XI. quantum quidem obser-vavi, non Gregorium Rom. non Isidorum Hispalensem, qui ambo Sec. VII. ineunte vixerant; non Amalasium Fortunatum, non Rabanum (in iis quidem quæ vere sunt ejus) non Walafridum Strabonem, non ipsum Pseudo-Alcuinum, quos omnes partim nono, partim etiam decimo Seculo floruisse, non est obscurum. Primus igitur, teste *Dalleo*, ex Latinis auctor, qui hunc ritum elevandi memorat, *Ivo Carnotensis* fuit, *Epist. de S. Miss.* in *Biblioth. Patr.* f. 602. Sed plane alio fine, quam *Bellarminus* vult; nempe *elevatum* fuisse Sacramentum a Diacono & Presbytero, ad significandam elevationem corporis Christi in cruce, tradit.

### §. 29.

*Johannes Bona* tamen Cardinalis, *l. II. Rer. Liturg.* c. 13. §. 2. hanc rem ceu manifestam affirmare haut dubitat. *Latini*, scribit, *peracta consecratione*, *Græci paullo ante communionem*, ut ex *Liturgicis Jacobi, Basili & Chrysostomi*

D

sostomi

*sostomi manifestum est, corpus Dominicum & calicem ELEVANT, ut A POPULO ADORETUR.* Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant scriptores Græci. Verum, ut Jacobi Liturgia supposititia est ; ita in allegatis Patrum Liturgiis, quod de elevatione ad adorandum dicit, altum silentium est. Nec *Dionysius* vel potius *Dionysias*, cuius *Eccles. Hierarch. c. 3.* allegat *Cardinalis*, quidquam de hoc superstитioso ritu Pontificio memorat : nisi quod scribit, hierarcham, panem consecratum, post preces attollere seu elevare ; de adoratione vero a populo requisita, ne verbulum quidem habet. Quos deinde *Cardinalis* laudatus ex Scriptoribus Latinis nominat ; illi omnes recentioris ævi sunt, de quibus jam *Dallei* censuram §. antecedente allegavimus. Nec exempla ex V. Testamento de elevatione hostiæ vel victimæ adducta huc faciunt, aut quidquam probant ; cum sint ἀπροσδιόγυστα. Quia sacramentum Eucharistiæ non est sacrificium propriæ dictum. *Durandus* autem, quem laudat, maxime fallit ; quando ab ipsis incunabulis Ecclesiæ consuetum putat Eucharistiam in altum tollere. Græci sane Patres, & inter illos antiquissimus *Justinus M.* qui ritum s. Eucharistiæ *Apolog. II.* describit, de eo plane silet. Eceteris vero de elevatione panis consecrati ad adorandum, nullum testimonium adferri potest. Rectius sentit *Bona* p. 567. quod non liqueat, quando in Ecclesia Latina elevandi sacra mysteria statim ac consecrata fuerint, elevata fuisse. Nisi quod post Transubstantiationis dogma receptum, seculo XIII. ritus ille superstitious atque idololatricus inoleverit. Id quod *Dalleus* supra laudatus idoneis argumentis evicit. Quem etiam forte *Cardinalis* indigitat ; quando sine addita ratione scribit : Scriptorem heterodo-

xiii,

xum id primum introductum comminisci in concilio Lateranensi sub Innocentio III. Certe si crassæ ignorantiae juris & facti, ut ipse loquitur, istum autorem convincere voluisset; necessum erat, doctissimi viri rationes convellere. *Cesarii Heisterbacensis & Odorici Raynaldi* autoritas omnibus eruditis suspecta est; cum quæ ipsi narrant, multis fabulis referta sint. In eo tamen Cardinalis nullam reprehensionem meretur, quod quarundam ecclesiasticorum in Gallia morem, quando tollitur in altum hostia, eos versiculos canere soleant: *O salutaris hostia &c.* improbat; quod satius esset, in silentio Christum adorare. Utinam Ecclesia Romana id etiam in s. Eucharistiae celebratione observaret, ac ab ἀριστολαζείας superstitione penitus abstineret.

§. 30.

Si itaque in primam *ABUSUS* hujus originem in Ecclesia latina inquiratur, ante Seculi X. primordia nulla vestigia ejus superstitionis ritus reperire certalicit. Nam in concilio Lateranensi anno M CCXV. ab Innocentio III. P. R. novum *transubstantiationis* monstruosum dogma confirmatum fuit. quo crassissimo errore recepto, novi errores mox plures enati, ut panis consecrati indusio, circumgestatio & adoratio. Inde ut populus in Eucharistia ad ἀριστολαζείαν excitaretur, formula illa antiquæ devotionis *SURSUM CORDA*, huic idolatriæ quoque inservire debuit. Quapropter *Guilielmus Durandus* Seculi M CCC. scriptor liturgicus in *Ration. Div. O. L. IV. de 6. part. Can. p. 65.* hanc elevacionis caussam primus subinnuit: *Quinto hostia (inquit) levatur, ut populus non preueniens consecrationem, sed ex hoc cognoscens, illam factam, & Christum supra altare venisse*

*nisse REVERENTER AD TERRAM PROSTER-  
NATUR; NEMPE AD ADORANDUM PANEM;  
ex illorum scilicet opinione transubstantiatum.*

§. 31.

*Quæstio etiam postea in nostra Ecclesia enata fuit:  
an Christus secundum carnem & sanguinem in s. cœna ad-  
orandus sit? Nam secundum carnem h.e. humanam na-  
turam etiam extra s. cœnam adorandam esse, omnino ex  
testimoniis Scripturæ Ps. LXXV, 8. 10. & 15. Dan. VII, 15.  
Philipp. II, 10. tum ex officio ejus mediatorio, (ad cuius  
exsecutionem humana ejus natura, tanquam organon  
 $\epsilon\upsilon\chi\rho\eta\varsigma\sigma\omega$  verbi adhibetur, quæ & usurpat in tempore per-  
sonaliter acceptam vim operandi divinam,) credimus  
& docemus: an vero priori modo, quem diximus, ad-  
orandus sit? quæstio diversa est. Affirmarunt illam  
multi ex Patribus, quos B. Hæpffnerus Tract. Pract. Isag.  
ad cœnam Domini Sect. II. Artic. I.c. 3. §. 3. allegat; Sed  
solide prius excusso diverso adorationis modo §. 24. 25.  
ipse statuit; non ita nude Theologos nostros negare ad-  
orationem Christi in s. cœna; sed cum mica salis: nem-  
pe 1.) quatenus corpus Christi pani, & sanguis ejus vi-  
no sacramentaliter sunt unita & præsentia. Quoniam  
corpus & sanguinem adorabilem facit non unio carnis  
Christi cum hac vel illa creatura, v.g. cum pane & vino;  
sed tantum personalis unio, & carnis ad  $\lambda\circ\gamma\sigma\sigma$  &  $\lambda\circ\gamma\sigma\tau$   
ad carnem præsentia. Quia Filius DEI suam divinam  
hypostasin communicat carni, & illius Deitas personaliter  
immeat humanitatem; ita ut extra carnem assumtam  
non sit Deitas, nec extra Deitatem sit caro assumta.  
2.) quoque id negat, ut tanto evidenter rejiciatur error  
Pontificiorum, qui hostiam consecratam tum in usu cœ-  
næ,*

næ, tum extra usum Sacramenti religiose venerantur & adorant in specie panis, i. e. ut ipsi exponunt, in accidentibus panis &c. 3.) Quia Pontificii adorationem carnis Christi in s. cœna faciunt specie diversam ab adoratione Deitatis Christi, & istam vocant ὑπερδόλειαν, hanc vero λαζειαν quæ inania figmenta laudatus Theologus c. l. prolixius diluit.

§. 32.

Nobis vero properandum est ad alterum abusum hujus formulæ, quem *Johannes Calvinus Institut. Christian. Relig. I. IV. §. 36.* commentus est: ut præsentiam corporis & sanguinis Christi in s. Eucharistia substantiam in dubium vocaret, quippe quam ante prolixe impugnaverat. *Quæ autem* (scribit) *superius dicta sunt, omni hac in re scrupulo liberare nos debent.* Nam ut Christum illic rite apprehendant piae animæ, in cœlum erigantur, necesse est. *Quod si hoc sacramenti officium est, mentem hominis infirmam alioquin adjuvare, ut ad percipientiam spiritualium mysteriorum altitudinem SURSUM assurgat: qui in signo externo detinentur, a recta querendi Christi via aberrant.* *Quid ergo? Superstitiosum esse cultum negabimus, cum se homines coram pane prosternunt, ut Christum illic adorent?* Huic malo procul dubio voluit obviare Nicæna Synodus, quum detuit nos humiliter attentos esse ad proposita symbola, nec alia caussa institutum olim fuit, ut ante consecrationem populus alta voce admoneretur, **HABERE SURSUM CORDA.** Ipsa quoque Scriptura, præterquam quod Christi adscensionem diligenter nobis enarrat, qua corporis sui præsentiam a conspectu nostro consuetudineq; subduxit: quo nobis omnem de eo carnalem cogitationem excutiat, quoties ipsius me-

D 3

minit,

minit, mentibus *SURSUM* erigi jubet, & ipsum in cælo  
quærere, sedentem in Patris dextra.

§. 33.

Quo quidem loco *Calvinus* Pontificiorum *metas*  
seu monstrosam illam *transubstantiationem* panis con-  
secrati in corpus Christi merito rejicit: Sed dum simul  
*metas* corporis Christi in s. Eucharistia substantialem,  
quam nos verbis Christi inhærentes credimus & statui-  
mus, impugnare vult; ejusdem imbecillem valde pro-  
bandi rationem rejicimus. Quia, ut supra fusiis §. 8. 9.  
10. ostendimus, ejus formulæ excitatoriæ plane alias  
usus & significatio fuit. Nam veteris Ecclesiæ docto-  
res per vocem *avv* seu *SURSUM* mentis & cogitatio-  
num elevationem ac sublimitatem opposuerunt supini-  
tati cogitationum & mentis inclinationi ad terrena,  
quæ in sensus incidunt. Ideo *Augustinus* tom. VIII. in  
*Psalm LXXXVI.* recte scribit: *Non sic levatur cor, quo-*  
*modo levatur corpus: corpus, ut levatur, locum mutat;*  
*cor ut elevatur, voluntatem mutat.* Deinde Concilium  
Nicænum, ad quod Calvinus provocat, loco a nobis  
supra §. 8. allegato, expresse dicit: nos fide debere  
intelligere in s. illa mensa agnum illum DEI tollen-  
tem peccata mundi esse, nempe realiter præsentem cum  
pane; quia illud edere jubemur. Quam præsenti-  
am etiam *Chrysostomus* in locis a nobis supra §. 9. & 22.  
allegatis agnoscit, atque ideo majorem devotionem  
& reverentiam, quam vulgo usitata erat, populo in-  
culcavit. Potest enim quis cor attollere, dum illud,  
de quo cogitat, sibi in mysterio præsens est. Sane pa-  
stores Bethlehemiti dum quærebant Christum in præ-  
sepi eumque inveniebant; mulieres eum in sepulchro  
quarentes, *sursum corda habebant ad Dominum.* Pot-  
est

est ergo quis altare intueri, in quo corpus sacramentaliter præfens est; & cogitationes simul sursum attolere ad DEUM mysterii hujus autorem. Quapropter superna in dicta formulâ, opponuntur inferis seu terrestribus, non quoad differentiam loci inferioris aut superioris, sed quoad differentiam dignitatis & sublimitatis. Christus qui est in cœlo ad dextram Patris majestatice, simul etiam est in Eucharistia. Sacramentaliter præfens, propter veram & realem unionem corporis Christi cum pane consecrato, qui est οὐνωνία τὸ σῶματός τὸ χριστός 1. Corinth. X, 16. De quo cum Zwinglio in *Colloqu. Marpurgensi.* an. 1529. Lutherus noster abunde satis disputavit, & præsentiam Sacramentalem & Substantialem corporis Christi in cœna constanter, ob verborum institutionis s. cœnæ claritatem, asseruit. v. *Abrahami Sculteti Annal. Evangel. citati anni.* Utinam vero Zwingliani animum ad verba Christi de sacra cœna clarissima advertissent, simulque corda sursum sustulissent, admirando magis, quam scrutando mysterii hujus Eucharistici sublimitatem; & ad figuram non confugissent. Sic enim Schisma illud triste inter Protestantes, quod optimus Princeps Landgravius Hassiæ Philippus, intendebat maxime, præcaveri potuisset. Nos autem corda nostra sursum habentes, DEUM patrem Domini nostri JESU CHRISTI precamur, ut cum omnia fere in Ecclesia & Republica ἀνώ καὶ κάτω verti cernimus, nostrum misereatur, ac ad τὰ ἀνώτερα quærenda indies nos magis præparet; donec ex hac miseria- rum valle liberati, cum ipso in supernis æternum vivere ex gratia detur.

S O L I D E O G L O R I A .

C O -

## COROLLARIUM.

Frustra Dominicus Macrus Melitensis cum Carolo fratre suo in Hierolexico, sive Dictionario sacro Rome an. 1677 edito f. 489. & 603. ad Liturgiam s. Jacobi Apostoli provocat, quando ad Præfationem Missæ, formulam, *sursum corda!* pertinuisse olim, probare contendit. Verba ejus ita habent: *SURSUM CORDA*, FR. Verba præfationis in Missa ex Liturgia s. Jacobi desumpta: Baronius ann. 63. n. 7. cuius significatus sic a Cypriano explicatur: Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentem dicendo, *sursum corda*: ut, dum respondet plebs: *HABEMUS AD DOMINUM*, admoneatur, nil se aliud, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adversarium pectus, & soli DEO pateat: nec ad hostem DEI, tempore orationis venire patiatur, Can. quando autem, de consecr. dist. 1. Nam primo Liturgiam, quæ s. Jacobo tribuitur, esse supposititiam eruditiores omnes norunt; nec Baronius anno citato num. 17. (Macrus n. 7. perperam allegavit) ejus auctoritate probare potuit. Secundo Cyprianus loco supra a nobis §. 6. etiam allegato tantum probat; quod Christiani nominata formula, non ante Missæ celebrationem, sed ante preces publicas ad devotionem a sacerdote fuerint excitati. Tertio quoque Baronius c. 1. nullo idoneo arguento probavit, quod *Cyrillus Hierosolymitanus Catech. Myst. V.* formulam istam memoratam ex s. Jacobi Liturgia desumserit. Quæ deinde Macrus f. 489. de hujus formulæ in Missa autore scribit, aut incertæ fidei, aut manifesto falsa sunt, ut supra in *Dissert. §. 26. 27. sqq.* a nobis ostensum fuit. Ceterum isthiac formula animi devotionem in ecclesia Romana denotari, inter alia, *Joannes Molanus in vita B. Fulgentii c. 5.* operibus ejus præmissa p. 21. testatur, constantiam ejus dilaudans; quod *sursum corde positus, matris suæ fletus audiverit & non audiverit.*

(oll. diss. A. 93, uisc. 9)